



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

32. Tranquillitas è verâ spe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Pigra dilatio excusatione caret.

Pf. 50. v. 19.

est qui exoratus ab humeris illam tuis transferat, qui graviora jam transtulit: cui nil grave, nil difficile est. Tantum ne differas. Et quamvis pigra dilatio excusatione careat, laude tamen non caret vel fera emendatio. Satiū est serō quā nūquam respicere. Ergo animo præsenti utere, & respira; pauca lacrymule inferorum incendium extinguunt. Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.

§. 30. Spes vite melioris miseras mitigat.

Seneca ad Marciam conso. c. 17. & 25.

Iter ad superos quod est facilius.

In Phœb.

Ubi Seneca ex te quero, mi ager, Quid miraris miseras tuas? Ad hoc genitus es, ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres, alios teque inquietares, mortem & timeres & optares, & quod est pessimum, nunquam scires, cujus esses status, nec unquam in eodem statu durares. Præter hoc quod omne futurum incertum est, & ad deteriora certius: facilius ad superos iter est, animis citò ab humana conversatione dimissis, sic enim minus fecis ponderisque trahunt. Nempe leviores ad originem suam revolant, si liberentur antequam altiū terrena concipiant. Nec unquam magnis ingeniis chara in corpore mora est. Exire atque erumpere gestiunt: ægè has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex alto afflicti humana despicere. Inde est quod Plato clamat: Sapientis animi totum in mortem, prominere; hoc velle, hoc meditari, hac cupidine ferri exteriora tendentem. Et quā illud clarè Plato de meliore vitā! Mhi videtur, inquit, vir qui revera vitam in studio sapientia posuerit, cum fiducia moriturus, plenus bonæ spei, quod magna ibi premia consequetur, si obierit. Hoc prius viderint in tepebris, tu in sole id non videas? Quid ergo, mi ager, res terræ te turbant? breviter celum habitabis. Illuc aspira, & quidquid miseriorum sentis, minus senties.

§. 31. Spes vera vite beatissima.

2. Tim. c. 1. v. 12. Eccl. c. 34. v. 16. usque ad 21.

Timor Domini dat vitam & benedictionem.

Psal. 4. v. 9.

Pf. 60. v. 5.

Pf. 70. v. 5.

Pf. 61. v. 9.

Psal. 118. v. 50.

Rier. c. 17. v. 17.

Idem c. 31. v. 16.

Tob. c. 13. vers. 15. & 17. v. 12.

Pœtas aut philosophos tibi hinc non ingero: res seria est. Ex ipso divini eloquii fonte propinabo tibi purissima fluentia. Ergo merorem mitte, spemque certā dic cum Doctore orbis: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Quid recidas curte spei homo? Siracidem etiam audi: Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum, beata est anima ejus. Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentia, firmamentum virtutis, regimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animum & illuminans oculos, dans sanitatem & vitam & benedictionem. Regius vates quā hinc fortis, quā intrepidus, etiam funus suum prospiciens: In pace, inquit, in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constitisti me. Quānam illa? alibi exprimit: Quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici: inhabitabo in tabernaculo tuo in secula: protegar in velamento alarum tuarum. At dicas: Impatientia mea malè me jubeffigere. Hic iterum tibi remedium, cum Davide clama: Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à juventute mea. Neque satis huic regi, si frequentissimè exclamasse: Spes mea in Deo est, Deus spes mea. Sed & alios ad idem hortatus: Sperate, inquit, in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Cur tu non sequaris, toties voce præcuntem? dic ergo animo: Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti, hac me consolata est in humilitate mea. Et cum Hieremiā vate: Et ego non sum turbatus te pastorem sequens, & diem hominis non desideravi, tu scis. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Eundem alibi monentem audi: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo, & est spes novissimus. Jobus in hoc confidentissimus: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Idem jam in mortis vicinā degens: Rursum, ait, post tenebras spero lucem. Sciret, clamat Siracides, quia nullus speravit in

Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis Ecclesi. c. 2. ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despicit illi. v. 11. 12. 13. lum? quoniam pius & misericors est Dominus, & remittit in die tribulationis: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Et Oseas: Spera in Deo tuo semper. Nam, Omnes v. 6. qui sperant in eum, non infirmantur. Siquidem, Bonus est v. 6. Dominus sperantibus in eum, anime quærenti illum. Bonum est v. 6. cum silentio prestolari salutare Dei. Verè, bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. Sed & nos scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quo- v. 7. nam videbimus eum, sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem v. 7. in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Spem ergo fir- v. 2. & 3. missimam concipe de Dei bonitate; & ille sperantem in se non deferet. Videbis Deum in regione vivorum. Pf. 114. v. 9.

§. 32. Tranquillitas est verā spe.

Converte anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quid fatigaris per tam varia laborum genera? En, adest Dominus, omni labori tuo finem impositurus. Define ergo, mea anima, velle misera esse, & tot laboribus intabescere. Quietis tuæ initium morbus & mors. Laboriosa, inquis, initia. Ita est. Sed scis; ple- rumque nulli dies minis quieti quā qui quieti proximi: nulli minis festi, quā qui festos antecedunt. Idem hic. Requies tua, æterna requies: Nunc Parascève te fatigat; brevi sequetur Pascha nunquam finiendum. Age, & brevem adhuc seu laborem, seu dolorem exhauri: jam portam spectas, non tantum illam per quam è vitā hac egressus, sed & per quam ingressus est in illam æternam. Et si vix laborare cæperis, tunc tamen satis est laboratum, quando id ille cenfer, cui laboratur. Tu ergo, mea anima, vanis vana dimitte, & ad Deum te verte, qui benefecit tibi. Beneficia illius in te summa & innumera: arenam maris citius numeraveris quā ista; quibus utique ad cælum tibi viam (ita bene spera) non ad inferos voluit aperire. Bernardus Clarevallensis hoc ante obitum suis unice commendavit, ut in tutissimo divinæ clementiæ sinu spei anchoram firmarent. Illud igitur carmen regium in corde & ore versemus assidue: In Ps. 30. v. 1. te Domine speravi, non confundar in æternum.

§. 33. Solatium est doloribus.

Et hac mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Hoc igitur solatium, interim dum me dolores urunt, incalecam, & animi virisque colligam, quando cruciarum magnitudo certam mihi mortis spem est allatura. Scio enim dum me dolores velut parturientem excruciant, fore ut tandem salutis & incolunitatis spiritus, vitæque alterius requies atque tranquillitas parata mihi sit, ut Dei misericordia super me resplendeat, siue cum mortem inferi, siue cum vitam tuetur. Nulla igitur mei commiseratione retardetur Deus, nam si moriar, liber & securus à peccandi metu evadam, nec unquam deinceps Dei voluntati resistam, ut qui ex hujus vitæ & mortaliū inconstantia recesserim. Valde videlicet imbecillitati meæ timeo, ne forsitan in viā rectā & proposito sancto deficiam. Cum itaque hæcenus, per summam Dei misericordiam & gratiam, in bono permanferim, aut inde avulsus, citò redierim, nollem ab vitæ innocentia recedere; quāvis spes mihi firma sit fore ut nunquam Deo contradicam. Non est igitur cur mortem timere debeam, sed potius est cur eam constanter expetere ac expectare possim: quā cum tandem immittere in me voluerit Deus, tantum abest ut illam deprecari velim, ut pro magno potiū beneficio eam sim habiturus. Sanctus enim esse, cum conari debeam, à sanctissimo & purissimo spiritu, Deo, nihil iniqui, aut parum mihi utile accipere possim. Adeste igitur dolores, exercete me, prout vobis à Deo concessum. Incipere mori & non dolere, vix ulli contigit. Scio, hæc sacra aliter non constant.

Mors non est timenda.